

parte superiorum provinciae.⁸⁵ Denique puncto 8^o totam activitatem externam pastorem aliorum religiosorum provinciae ordinandam esse secundum »praescriptum a Sacro Concilio Tridentino« sicut et in aliis regionibus catholicis.⁸⁶

Sic S. Congregatio provinciae, quae exemptione et jure ad suas parochias gaudet, facultatem quoque nominandi, praesentandi, removendi ac substituendi parochos eidem conservatam esse voluit. Vicario autem Apostolico auctoritatem a jure et Concilio Tridentino ordinariis locorum concessum competere adjudicavit.⁸⁷

Hoc modo, veteris systematis in gubernatione ecclesiae bosnensis confirmatione, prima vice sub regimine Vicarii Apostolici indicatae fuerunt normae relationis hujus duplicis auctoritatis in exercitio curae pastoralis. Quae quidem normae plus vel minus perfecte observabantur usque ad diuturnam controversiam cum episcopo Barišić. Sane, in hoc vel illo puncto quaedam ingerentiae ex utraque parte quandoque emergebant, quae nonnisi latas decisiones confirmant. Ideo quasdam ex ipsis enumerare juvabit.

Episcopus Botos-Okić tempore suae commorationis Romae, occasione consecrationis episcopalis, statuta quaedam pro reformatione disciplinae in illa provincia composuit.⁸⁸ Haec statuta postea in sessionibus capitularibus provinciae discussa ac, factis observationibus, S. Congregationi ad confirmationem remissa fuerunt. Eadem S. Con-

⁸⁵ »Liceat superioribus provinciae missionarios omnes et parochos pro singulis parochiis eligere et proponere ad normam decreti de anno 1676 approbandos tamen a Vicario Apostolico«, Jelenić, Izvori, 37 n. 26.

⁸⁶ Ibidem, 37.

⁸⁷ Haec omnia ordinata sunt, licet provincialis, ut melius suam independentiam defenderet, voluit parochos insignire nomine missionariorum, de quo infra in ultimo capite.

⁸⁸ Ad calcem statutorum in discussione plenaria S. Congregationis stat observatio: »Mons. Vicario Apostolico di Bosna, mi si è caldamente raccomandato di non scriver al Provinciale de suoi frati, ch'egli è l'autore de nuovi statuti. Di più mi ha pregato di differire la lettera a Novembre, ò a Dicembre, quando egli sarà giunto nella sua residenza, perchè potrà allora col consenso del medesimo provinciale e definitorio concertar meglio tutto l'affare. Io glielo promesso. Dunque Dilata post aequas a quae-sta lettera.« Archîvum Prop., Acta, 1784, v. 154, f. 413r—431r.